

*NvK an Peter Knorre in Nürnberg.<sup>1)</sup> Er übersendet ihm die päpstliche Bulle gegen Hz. Sigismund und Gregor Heimburg sowie drei weitere Breven gegen Gregor Heimburg. Knorre solle die Urkunden vervielfältigen und in Nürnberg publizieren.*

*Kopie (gleichzeitig): BERNKASTEL-KUES, StiB, Cod. Cus. 221 p. 182. Über dem Text: Copia littere ad d. Petrum Knor, missa cum tribus brevibus per fratrem de Magdeburgo ordinis sancti Augustini die xii novembris.*

*Erw.: Jäger, Streit II 147.*

Eternam salutem. Venerabilis domine Petre, amice carissime. Quia s. d. n. omnino ecclesiasticam libertatem, apostolice sedis auctoritatem et clavum potestatem intendit defendere, ideo contra d. Sigismundum ex principibus Austrie ob sacrilegium usque ad declaracionem penarum iuris c. Felicis<sup>2)</sup> et Cle. Si quis<sup>3)</sup> processit.<sup>4)</sup> Post sententiam Gregorius Heymburg, ut sua prudencia more solito abuteretur, Sigismundum et se , adherentes per appellationem mendaciis plenam ad futurum concilium etc. interpositam involvit. Nunc s. d. n. iuxta constitutionem, quam Mantue contra sic appellantes fecit<sup>5)</sup>, declaravit Sigismundum et Gregorium excommunicatos et in crimine lese maiestatis et heresis incidisse.<sup>6)</sup> Huius bulle veram copiam, cui fides indubitata debet adhiberi, de mandato s. d. n. presentibus d. v. mitto, ut illam undique mandetis publicari. Et mitto eciam d. v. de mandato e. s. d. n. tria brevia contra Gregorium, ut illa presentari curetis illis, quibus diriguntur. Sunt eiusdem continentie, et copia similiter mittitur. In qua, quid contineant, videre poteritis vir ille apostolice sedi et omnibus ingratissimus, ductus avaricia, non erubuit os in celum ponere<sup>7)</sup> et ecclesiasticam auctoritatem contempnere. Ideo recte punietur in eo, in quo deliquit<sup>8)</sup>, non sit d. v. tarda ad exsequendum ista ecclesiasticam libertatem concernencia. Nam s. d. n. in tantum de persona d. v. confidit, quod non putavit rem istam posse alicui, qui melius et perfectius faceret, committi. Et copiam bulle pape missam facite multiplicari et mittite cum brevibus, et continue facite per Nurembergam in ecclesia vestra<sup>9)</sup> et alibi publicari et denunciari nominatos omnibus diebus dominicis, quoisque de absolucione constiterit. Ita s. d. n. exhortatur, mandat et precipit et commisit, ut scriberem, et scitis relacioni cardinalis in talibus standum. Et cum proximo s. d. n. et michi velitis, quid egeritis rescribere. Offero me d. v. etc. Rome die sancti Martini 1460.

<sup>1)</sup> Zur Person s.o. Nr. 2704 Anm. 2; RTA XIX 2, 243 Anm. 29.

<sup>2)</sup> VI 5.9.5 (Felicis), ed. Friedberg II 1091f.

<sup>3)</sup> Clem. 5.8.1 (Si quis suadente), ed. Friedberg II 1187f.

<sup>4)</sup> S.o. Nr. 6281 (1460 August 8).

<sup>5)</sup> Die Bulle ‚Execrabilis‘ (1460 Januar 18); s.o. Nr. 6382 Anm. 7.

<sup>6)</sup> S.o. Nr. 6382 (1460 November 2).

<sup>7)</sup> Vgl. Ps. 72,9.

<sup>8)</sup> Vgl. X 1.11.13, ed. Friedberg II 122.

<sup>9)</sup> D.h. in Knorres Pfarrkirche St. Lorenz in Nürnberg.